

Charter of the Hospital at Magdeburg

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis.

Nos Norbertus Dei gratia Sanctae Ecclesiae Magdeburgensis Archiepiscopus; cum plurima Antecessoris nostri piae memoriae Adalberti munifica largitate quaedam domus hospitalis juxta Ecclersiam Beatae et gloriosissimae Mariae constructa fuisse, ipsam, quod non sperabamus, pene annihilatam invenimus, ita quod hi qui in ea stipendum quotidianum accepturi erant, indecenter et miserabiliter mendicarent, quorum necessitati et miseriae compatiens, consilio et consensu majorum nostrorum eamdem domum hospitalem fratribus nostris in Ecclesia Beate et perpetuae Virginis Mariae constitutis, cum omnibus eidem hospitali attinentibus, regendam et disponendam jure perpetuo tradidimus.

Actum in suburbio civitatis Magdeburgensis, anno Dominicae Incarnationis 1130.

Hujus rei testes sunt Lindolphus Brandenburgensis Episcopus, Gombertus Episcopus Havelberg, Hartvicus Episcopus Misnensis.

FONTES:

- A. Hugo, *La Vie de Saint Norbert*, p. 362
- B. Madeleine, *Vie de Saint Norbert*, p. 540